

*Et quæ quotidie agunt, & experiuntur, non vident. Nam incunabula nostra inspicere, quam variè in primâ etate se prodit peccatum! Hæc D. Lutherus. Licet igitur per vocabulum, jézer, respectu adultorum, (quos etiam respicit vocula machaschebet) hic etiam notetur figmentum cordis humani, cum rationis usu connexum: tamen respectu infantum, connotatur fictio & motio cordis, cum plenâ liberi arbitrii usurpatione, nondum conjuncta. Figmentum hoc & in illis, & in his duntaxat est malum, si attendatur naturalis pravitas cordis humani. Tantum de probatione propositionis.*

19. *Assumptio probatur. 1. Ex citatis dictis Gen. 6. v. 5. & 8. v. 21. junctim sumptis. Qui loci quamvis sat evidentes sint; tamen quia Papiſta Pighius, & imitatores ejus (in his dictis pervertendis) Photiniani negant, hic etiam agi de peccato originali, negationem illam falsitatis convincam, sic argumentando. De illo etiam peccato Deus in citatis locis loquitur, quod. 1. Est in omnibus & singulis hominibus (excepto solo Christo.) Generis enim vocabulo utitur Deus, & dicit: Cor hominis tale esse. Erant autem tum (post diluvium) homines non alii, quam qui in arcâ servati erant. Et tamen dicit: Figmentum cordis humani esse malum. Ergo ne sancti quidem hic excipiuntur. Idque hinc etiam constat, quia Deus promittit, se nunquam imposterum esse deleturum mundum, universali cataclysmo. Sicut igitur res promissa est generalis, ita & ratio promissionis, i. e. naturalis pravitas, omnibus hominibus competit. Confer D. Luther. in c. 8. Genes. p. 401. 2. Quod in specie perhibetur fuisse etiam in Noacho credente, ejusque sociis: siquidem post diluvium non superstites fuerunt alii homines, quam Noachus cum suis, Genes. 7. v. 21. 22. Et tamen Deus c. 8. v. 21. pronunciat, quod figmentum cordis humani (etiam Noachi, & sociorum ipsius: quippe qui post diluvium residui fuerunt, nec ab isto peccato excipiuntur) sit malum ab infantia hominis. 3. Quod est in homine omnibus diebus etiam infantie, ut constat ex ipsâ literâ.*

20. *At non malitiosa primi mundi contumacia, sed peccatum originale, cum suis primis motionibus vitiosis est. 1. in omnibus & singulis hominibus, ut per se liquet. 2. Nec obstinata delinquendi libido, & delicta præelectiva, seu ἀρρητῆρες Cainiticæ, sed concupiscentia prava hæreditaria, quæ est malum κακὰ κληρὸν, fuit in Noacho credente, ipsiusque sociis: quia salvifice credentes, qua tales, non malitiosè delinquant, quando quidem malitiosè delinquentes excluduntur è regno*